

COMPOSITIONES XXXI–XXXVIII

quadrantem. pluviali primum teritur aerugo, postea cetera adiunguntur macerata aqua.

XXXVI. Collyrium quod proprie facit ad aspritudinem palpebrarum et callositatem; oportet autem aut subicere specillum aut invertere palpebram: aeris usti X p. XXIIII, aeruginis X p. VI, croci X p. X, myrrae X p. I, nardi spicae X p. I, cassiae rufae fistularum victoriati pondus, piperis albi grana XLV, commis X p. IX; vino Chio teruntur.

XXXVII. Medicamentum liquidum ad palpebrarum veterrimam aspritudinem et excrescentem carnem, sycosin quam vocant, item callum durissimum; hygram appellant, quia est liquidum medicamentum; carnem ex palpebris tollit sine magno dolore. recipit haec: myrrae, thuris, croci, singulorum X p. III, misyi X p. III, chalcitis X p. VI. haec teruntur diligenter aceto acri; ubi levia facta sunt et habent spissitudinem passi, miscetur eis mellis Attici pondo libra. deinde in patella aeris Cypri super carbones posita infervescit, donec mellis habeat non nimium liquidi spissitudinem, atque ita reponitur pyxide aeris Cypri. cum opus fuerit, invertitur palpebra, deinde hoc medicamento suffricatur curiose ad delacrationem, id est, ubi desierit mordere medicamen, rursus invertere oportet palpebram atque ita pollice impresso membranas innatantes abducere, quae facile subsequuntur. post haec cinereo ex aqua inungendi erunt crassiore. hoc inventum multorum annorum callos et aspritudines palpebrarum desperatas a quibusdam oculariorum paucis diebus tollit.

XXXVIII. Hygra, ad suffusiones oculorum, quas Graeci hypochymata dicunt, medicamentum liquidum: feniculi suci X p. III, oprobalsami X p. III, mellis Attici X p. III, olei viridis X p. III, hyaenae fellis X p. I, euphorbi X p. I. hoc oleo diluitur et ita commiscetur ceteris. aquato uti oportebit hoc medicamento: est enim acerrimum et undique humores trahit. quamobrem non sunt inungendi, qui capitis dolorem aut gravitatem habent; item ante biduum aut triduum ut aquam bibant, quos desti-